

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè  
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

§. 3. Puerqua prærogativa prædestinationis sanctissimæ Virginis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

sunt incomparabiles : siquidem nonnisi JESUS CHristus est, qui prædestinatus sit, ut existat Filius Dei ; Et nonnisi Sanctissima Virgo est, quæ prædestinata sit, ut existat Mater Dei : impossibile est Deo, attollege naturam nostram humana-  
nam altius, quam efficere, ut homo sit Deus ; impossibile etiam est Deo, elevare personam humanam sublimius, quam facere, ut ipsa sit Mater Dei. Ecce quare dixerim, quod ambæ sint prædestinationes æquali ratione singulares, privilegiæ, incomparabiles.

Adjice modò huic prædestina-  
tionis generi, quæ nonnisi com-

munis ipsi est cum Filio suo natura-  
li, aliam, quam communem habet  
cum filijs adoptivis, ex quâ, sicut  
ipsi, prædestinata est ad gloriam,  
sed ad sublimius culmen gloriae,  
quam possideant omnes puræ crea-  
ture ; & ex admirabili hac unione  
ambarum, quæ non est, nisi in San-  
ctissimâ Virgine enasci videoas præ-  
rogativam secundam prædestina-  
tionis ipsius aeternæ : Considera  
hanc benè, examina hanc benè,  
contemplate, perscrutare, rimare  
hanc, quantum volueris, admira-  
beris semper ipsam magis, sed nun-  
quam omnem ipsius comprehen-  
des magnitudinem.

## §.

## 1.1.

### *Principia prærogativa prædestinationis Sanctissi- ma Virginis.*

ET quantum spectat ad tertiam,  
sciendum est, inopinatum hic  
quoddam contigisse accidens, quo  
paulisper interpellati sumus. Et  
fuit ingens strepitus, clamor & tu-  
multus duorum inter se altercan-  
tium & acriter litigantium pro quâ-  
dam arbore, quorum pratendebat  
quilibet, fructus ipsius ad se perti-  
nere. Unus dicebat ; Arbor in meo  
sita est fundo, & idem fructus ipsius  
mei sunt ; alter dicebat, plantata  
est in fundo meo, & radices ipsius  
omne suum alimentum trahunt ex  
agro meo adnutriendos fructus  
suos ; ad me igitur ipsi spectant.  
Uterque tam firmiter insistebat de-  
fendendo juri suo, ut necessum fuc-

xit indagare veritatem, ipsosque  
data sententia concordare. Inspi-  
ciebatur pes arboris, & inventieba-  
tur non habere nisi duas magnas ra-  
dices, quæ conferebant ipsi vitam ;  
Sed una trahebat virtutem & ali-  
mentum suum è fundo unius,  
& altera sugebat vitam & vigo-  
rem suum è fundo alterius li-  
tigantis, & desuper lata est senten-  
tia, fructus esse communes, & spe-  
ciale æqualiter ad utrumque. Hac  
causâ finitâ & tumultu sedato, redi-  
titi sumus nobis, ego & Comes  
meus, nostrumque resumpsimus  
colloquium in eodem, quo id in-  
terrupimus, puncto.

Interrogavi ipsum : Quæ igitur  
est

Similitudo  
valde ac-  
commoda  
argumento  
prædestina-  
tionis San-  
ctissimæ  
Virginis.

est tertia prærogativa particularis prædestinationis æternæ, Virginis Sanctissimæ? cœpit subridere, mihi quis respondit; jam nōsti illam, saltem illam vides, quamvis fortassis non advertas. Tūl. hta hæc arbor, quæ argumentum erat habitus modè disceptationis, est JESU S Christus; ipse est, qui assert omnes fructus vitæ æternæ; ipse est, cujus fecunditas exhausti non potest; ipse est, cujus abundantia absque mensurâ locupletat cœlum & terram; Verum ad quem spectat hæc arbor? cujus sunt omnes fructus ipsius? Id ipsum disceperatur.

**JESUS** Cœlum inquit, mea est: Si quis Christus est, dem nunquam non & omni tempore haberi duas radices, uero aspexi hanc arborem vitæ in fundo meo: Et terra inquit, mea nam in cœlo est; ego namque vidi plantati ipsam in fundo meo, illamque autri-

vi visibiliter, sicut cæteras arbores meas. Pater cœlestis loquitur è verticè cœlorum & sublimitate æternitatis suæ: Mea est; Ego enim produxi ipsam è propriâ meâ substanciali, exhausi quoque totam meam substantiam, ut darem illi, quod habeo, & facerem illam alterum meipsum æqualis tecum magnitudinis; & ideo mea est, & fructus ipsius mei sunt. Et Sanctissima Virgo loquitur de terrâ & è profundâ abysso humilitatis suæ, & dicit: Mea est, quia donata mihi est donatione maximè solemnî & plurimùm obligatoriâ; verum ul-

tra hoc jucunda tam legítimum, mea adhuc est, eo quod sit opus meum, & produxerim ipsam è propriâ meâ substanciali; Ego sola suppeditavi ipsi omnia, quibus opus erat ad conferendum illi esse, & insuper colui ipsam, educavi & enutriui meotum laetè uberum; Mea igitur est, & consequenter omnes, quos assert fructus mei sunt.

Pater instat ex parte suâ, & dicit: Ego sum principium & essentia & vitæ ipsius, & omnium operatum ipsius; si per impossibile evelleretur è sinu meo, & nihil amplius acciperet ex me, nihil amplius esset, nihilque amplius posset profecte, mea igitur est, & quidquid producit, meum quoque est. Et Mater stat, agitque pro parte suâ, dicens: Mea est; nam ego dedi ipsi vitam, & sensus, & viscera misericordiarum; ego formavi ipsi Corpus, quod obtulit in sacrificium pro hominibus, & sanguinem, quem pro ipsis effudit in Cruce; Et si separaretur à me, & nihil amplius à me haberet, non esset amplius Salvator Mundi, & nec pati, nec mereri quidquam posset pro aliquo peccatore. Verum igitur est, ipsam meam esse, & omnes fructus ipsius esse meos. Ambo nonne optimè fundantur in jure? ambo nonne solidâ nituntur ratione, & arborem & ipsos fructus verè & ex æquo suos esse? Quid dicis ad hoc!

Examinemus rem è fundamento, & inveniemus JESUM Christum rium est,

Absolute  
necessa-

C 3

verè.

JESUM  
Christum  
esse Deum  
& homi-  
nem, ut sit  
Salvator  
noster.

verè solum esse arborem vitæ, quæ producat & afferat in ramis suis omnes fructus æternitatis, id est, omnes Electos; sed non habet nisi duas magnas radices, è quibus trahit ornam substantiam conferentem sibi vitam, omnem vigorem redditentem se adeò secundum, & omnem bonum saporem, quem suis elargitur fructibus. Una radicum ipsius plantata est in cœlo & pertingit usque ad sinum Dei; altera plantata est in terrâ, sèque extendit usque in sinum Sanctissimæ Virginis. Utraque æquali ratione est ipsi necessaria, ut sit, quod est, nempe Salvator hominum, & faciat, quod facit, id est, producat fructus æternitatis, qui sunt prædestinati: siquidem si avulseris ipsi radicem unum, destruxeris ipsum ex integro; non foret amplius quod est, nec operati amplius posset, quod operatur.

Si avulseris ipsum è sinu Patris sui æterni, & is non amplius recipiat vitam suam divinam ab eo, non erit amplius nisi purus homo, nimil debilis, & procul impotens ad salvandos homines: Et si avulseris ipsum è sinu Sanctissimæ Matris suæ, nihilque amplius is lux habeat humanitatis, non erit amplius nisi Deus, inhabilis ut patiatur & mereatur pro hominibus. Verum permittas vivere ipsum vitæ utrâque, divinâ & humanâ, relinque ipsi ambas suas radices, quibus reahat ad se substantiam utriusque;

Et verè arbor vita etit summæ secunditatis, & admirandi vigoris, habens, unde patiatur & mereatur pro peccatoribus, quia est homo; habens, unde tribuat dignitatem & valorem i finitum suis meritis, quia est Deus; habens, unde producat fructus copiosissimos, & quasi infinitos, eo quod thesauri secunditatis suæ, gratiatum suarum & bonitatis suæ existant inexhausti: Ast attende, quin in sint fontes, qui suppeditent ipsi omnem hanc magnam abundantiam, & invenies esse ambos, Patrem æternum & sanctissimam Virginem. Ad pronuntiandum igitur sententiam æquitati conformem, dicendum est, arborum pertinere ad utrumque & fructus, quos assert, esse utriusque.

Revertamur modò ad rem. Interrogabas, quænam sit tercia prærogativa prædestinationis æternæ Virginis Sanctissimæ, quæ attollat ipsam super omnes alias; quænam sit hæc præminentia, quæ non nisi ad illam pertineat? Ecce tibi illam; & est, quod ipsa prædestinata sit ratione quâdam tam singulari, tamque admirabili, ut veniat quâdam ratione in partem rerum omnium cum Deo Patre & Filio suo, in magno negotio, quod tangit & concernit prædestinationem Sanctorum. Ipsa est per Filium suum & in Filio suo, unum è duobus principiis, quæ concurrunt ad executionem effectivam prædestinationis illorum, & salutis omnium Electorum

Motif  
essie  
omne  
pellu  
Chrif  
ur de  
sint e  
Sancti  
mam

rum. Non sicut absolutè impossibile est IESU Christo adimplere prædestinationem unius solius, absque concursu Patris sui æterni, eo quod absque ipso non esset Deus; ita impossibile quoque est ipsi adimplere illam absque concurso Sanctissimæ Matris lux, eo quod absque hac non esset homo.

Nonne luculenter vides, efficax hoc esse motivum, ut omnes Electi Sanctissimæ fæc devoveant Virginis; nec immerito affirmari, quod evidens prædestinationis sit signum, si anima occulto sed forti vinculo adhæreat ipsi, sentiatque certam quandam in corde suo inclinationem, quæ moveatur, ut illi sit de vota, ipsam amet, ipsique serviat?

Motivum efficax, quo omnes impelluntur Christiœ, ut devoti sint erga Sanctissimam Virginem.

Nonne inestimabilem intueris obligationem, quæ tenetis tribus hisce personis Patri Filio, & Sanctissimæ Virginis, dirigentibus hac ratione magnum æternitatis nostræ negotium? an probè hoc vides? an bene id capis? Non, non satis id intelligis, nec grati animi memoriâ magnam hanc prosequeris veritatem; nec unquam aliquis omnem ejus perspiciet vel amplitudinem vel profunditatem, quoad oculi ejus illuminet jubar ac splendor magna diei Domini: Exspectanda est beata Dei visio, quæ omnes illi manifestabit veritates in suo principio.

Si omnes fructus, qui pendent è ramis arboris se portantis, sequentur loqui possent telluri,

quæ arborem hanc conservat ac sustinet, suumque finum aperit ad nutriendum illam per radices suas, ac subministrandum illi alimento, quod suis impertiatur fructibus; nonne dicerent illi: Tu communis es Mater nostra: quamvis enim absolutè dependeamus ab hac arboce, quæ Patrem nostrum agit, nihilominus verum est, quod ipsa absque te mansisset sterilis, non esset id, quod est, & nos, quod sumus, non essemus. Hem! Non Pulchra ne vides, ipsos id dicere, quantum comparatio possunt? Observa illos benè, & nos admoneas, quod omnes hi fructus patuos suos ocellos vertant in ipsam, quodque omnes rotundam capiant formam, quasi ad complacendum ipsi, ipsamque imitandum; quod omnes eadem omnino inclinatione ferantur versus ipsam; quod quantum plus creverint, plus quoque crescat hac inclinatio, & augeatur in ipsis, quodque ipsa adhibeat vim, quæ cogat ramos arboris ad infleendum se cum illis, & sub illis, ut ita satisfaciat ipsorum inclinationi, quæ est, approximare semper magis magisque terræ; Et tandem, si asséquiri possint plenam suam matritatem, suis satisfacent desideriis, seque sponte divellent ab arboce, ut cum gudio dilabi & involare possint finum Matris suæ.

Ah! Christiane, chare mi frater, ecce non addicis obligationes tuas erga sanctissimam Virginem ab innocentibus his creaturis? Verum est,

est, quod agnoscere debes & confiteri, omnia te debere JESU Christo, qui arbor est vita, tibi tribuens esse supernaturale per gratias suas, te nutriendas propriâ substantiâ suâ, têque portans in brachiis suis: Sed nonne omnia quoque debes Sanctissimâ Virgini, que subministrat ipsi è proprio filio suo, id omne, quod isti dae tantâ cùm bonitate; ipsa exhaustit se propter ipsum, ut ipse exhauiat se propter te? Et si verum est, quod absque illo tu non es es id, quod es, verum quoque est, quod is absque illâ non esset, quod est.

Exhortatio ad devotionem erga Sanctissimam Virginem. Libi est ergo gratitudo tua, & debita obligationis tua erga ipsam agnitio? Nonno præstandum saltem sit tibi universalî huic Salvatoris tui, & salutis tue Matri, quod præstant, quod exhibent fructus teluti? Nonnè figas quoque tuos in ipsam oculos, ut ipsam semper magâ aspicias cùm veneratione? Nonnè in hoc complacere illi stu-

deas, ut quantum poteris, juxta ipsius refformes exemplat? Nonne incessanter propendeas in ipsam, hæcque tui cordis inclinatio absque intermissione feratur ad honorandum ipsam, ad famulandum illi, ipsamque amandum devotione plenâ fervore, teneritudine & reverentia? Nonnè amor tuus quotidie excrescat in illam, maximum que tuum sit desiderium, dilabenditatem in manus ipsius, tuumque seddendi spiritum Deo velut fructum, qui pervenit ad perfectam maturitatem suam, mediante potentissimâ intercessione ipsius?

Psal. 103. 3. Hoc chius. Relinquo meditationi tuae prosecutionem harum comparationum, quibus convincas temetipsum efficaciter ad implendum obligationes tuas erga Sanctissimam Virginem, dum ego interim me accingo ad dicendum tibi aliquid maius de prædestinatione illius.

\* \* \*

## ARGUMENTUM.

*Omnis tres persona adoranda Trinitatis recipiunt notabile incrementum gloriae ex prædestinatione Virginis Sanctissimæ.*

### ARTICULUS IV.

**O**ptime exploratum est nobis Deum sufficientissimum esse sibi ipsi, ipsumque sec-

magnificari, nec locupletari, nec perfici posse ab infirmo omnium creaturarum suarum nihilo: Com- pertum

Quod si dixerit sychius Beatus